76
61

omnem occasionem captem efficiendi, ut intelligas me tanquam minus esse quam ingratum. Itaque saepe anxie
quaesivi aequa inveniri ratio posset dandi aliquid literarum ad te Vir clarissime, qui mihi
olim puer arctissimo vinculo pietatis coniunctus fuisti. Me miserum ubi est ardor ille
qui meum cor, qui tuum qui Gualteri, qui Bassaeum et quorundam aliorum sodalium
suavissime accenderat. Non flamma aliqua opinionum novarum sed vero zelo amoris
erga Jesum Christum, ad quam certe viam adeundam tu nobis dux et hortator exstitisti
pro quo summo beneficio me tibi prorsus obstrictum sentio, nec quenquam habeo in hac vi-
ta mortali cui plus debeam. Ac proinde doleo et graviter fero sic distractum me
semper a tua consuetudine hactenus, ut nullam dare potuerim vel grati animi signifi-
cationem. Quid quod ne id quidem scire potui quis sit status rerum tuarum? quae reli-
gio? qui sensus? ominari non ausus sum nisi optima, sed tamen fieri interdum videmus
ut semen cum gaudio receptum alibi paulatim emoriatur, alibi a spinis confixum intere-
at, alibi conculcetur. Sylvium certe audivi annis superioribus horribili exemplo
extinctum esse, quem ego toties cum una Lovanii apud Buschoducensem viveremus,
matutinis horis aggressus a sua temulentia revocare conatus lacrymas lacrymantem am-
plexus sum, et ex Graeco testamento aliquid recitans largum fletum humanissimo ado-
lescenti expressi. De Bethunensi et Bassaeano quid factum sit melius nosti. De
tuis rebus nihil usque potui cognoscere, neque hactenus nactus sum quenquam cui ad te lite-
ras darem. Nec vero curiosius velim in alienam vitam inquirere, sed quum te tuo
merito amem mortalium omnium maxime, ferreus sit oportet qui me iubeat de vita
et salute tua non sollicitum esse. Quamvis enim is semper pudor in me fuit ut de-
fuisse saepius officio quam gravasse videri debeam, hic tamen incredibilis quidam er-
ga te amor omnia pudoris obstacula transcendit. Non quod expetam τα δωρα [illegible]
[illegible] sed quod audire desiderem etiamnum te stare in Domino et diligere adventum
ipsius. Qua de re ut aliquid respondeas etiam atque etiam rogo. Ego postquam postre-
mum abs te discessi Sexennium Bremae commoratus coniugem illic sepelivi. Inde huc
a Senatu Duisburgensi vocatus propius ad patriam me admovi. Sunt iam sex
menses supra biennium in nuper instituta Schola Christiana pro viribus operam nava-
vi. Vellem essent in tuis vel amicis vel civibus, qualis Corinthius ille quondam in
quibus erudiendis meae erga te observantiae testimonium aliquod edere possem. Viverent
certe hic tutissime et linguarum institutionem, cum vera institutione pietatis, non mul-
tis annis in urbe non admodum celebri, sine mala fama consequi possent. Habitandi locus est a-
moenissimus inter Roeram et Rhenum tribus passuum millibus Dusseldorpio infe-
rior, et Wesalia superior. Schola adhuc in principiis luctatur nondum invidiae fu-
mos discussit, et propter vicinas celebres scholas non facile emergere potest, eoque impen-
sius nobis est vigilandum et omnes nervi intendendi, ne ubi videamur non satis fide-
liter officio nostro functi esse. Ut autem scias professionem nostram mitto tabulas lecti-
onum aestivarum quia non dubito de tua in me benevolentia et plurimum te nobis in
opere nostro opitulari tua commendatione posse certo scio. Vale Vir omnium qui vivunt
mihi merito charissime. Duisburgi postridie Cal. Aprilis 1562.

Johannes Molanus

Pax Christi

M. Nicolao Zeonbronck Lutetiae

Non temere metuo frater dilecte, ut meam in remittendis literis diligentiam desi-
deres

Nr. 116)
[= Mscr. a 12: Nr. 98]

dores. sed crede hoc mihi esse in Schola nostra et Ecclesia miserijs sic contabesco, ut
ne ad cibum quidem cum alacritate capiendum accedam, itaque necessaria, et sine quibus
saluus esse nequeo ea utcunque peragens amicis (vel ijs quidem qui mecum uiuunt) operam
dare non possim. proinde raro scribo et tenuiter pro meo ingenio ac stylo quem luc-
tuosa aerumna tantum non consumpsit. Nuper D. Rhetio Antwerpiae cu-
ti literas ad te dedi de ijs quae mihi priuatim aduersa euenerant; publica non sunt
eo loco ut commemorari cum aliqua laude possint. nisi id aliquid putas esse quod
non cogimur uel facere aliquid uel approbare contra sententiam animi nostri. ut
uindicat sibi quisque obsequium conscientiae nostrae. sed libere seruimus DEO (quibus
id datum est) sine metu mortis aut durae afflictionis. Vos aut ut audio inter
manus et arma [illegible]tamini dextra aedificantes, ferrum stringentes sinistra, quod ut
uobis bene uertat in salutem uestram et Christi Jesu gloriam, non mediocriter me
sollicitum habet. Percutiat dominus dorsa contumacium regnetque potenter in me-
dio hostium suorum, amen. Quaeso ut mihi de successu doctrinae perpas scribere.
Nam illud de Ramo incredibile est quam me magnopere delectarit. Corrobo-
ret DEUS consilium eius et in fide filij sui dilecti inconcussum seruet ad-
uersus infernorum impetus, ut sit tamquam plantatus in Domo Domini qui semper
floreat in atrijs DEI nostri, fiat. librum quem petebas hic adolescens ad te afferet
nouit eum Cornelia soror nostra; uixit mecum Bremae triennio. doctus est
et ualde pius, nostras res ex eo prolixe cognosces, amauit me semper eximie qua-
re peto ut eum mei respectu amice complectamini, neque operam denegetis, uel tu
uel Franciscus si qua in re sine uestro dispendio iuuare hospitem poteritis, nam is
ipsus ea modestia est ut nolit cuiquam uestrum oneri esse. Quid Cornelia nostra quo-
modo fert mores Gallicos? ecquid noui parturit ut filiolum tibi simillimum istic
edat qui iuxta tecum sit ciuis Parisiensis. Laborandum arbitror in hoc ut linguam
discat, ita fiet ut conciuibus casta patriam non admodum desideret. mea nostis
utera cessat ex DEI benedictione, quae ut sit nobis solida et in salutem adiu-
uate nos mutua precatione. Tum autem fac memineris in magnis uos istic pe-
riculis esse, ut assiduis gemitibus uitam et salutem uestram quae me solicitat Filio
DEI commendetis. De coniuge tua scripseras nuper quaedam tristia fac me de om-
nibus rebus uestris certiorem. Gemini belle ualent, mater honeste se gerit quan-
tum intelligo. In aedibus soceri adhuc saluae res sunt, meae facultates paulatim mi-
nuuntur. consolor meipsum promissionibus Patris nostri coelestis. Comedent ser-
ui mei et saturabuntur in die famis non erit inopia timentibus eum. Qui das es-
cam omni carni benignissime Pater qui pascis me ab iuuentute mea. Demensu-
meum suppedita mihi donec hac aerumnosa peregrinatione defunctum transferas in
regnum tuum coeleste quod promisisti omnibus diligentibus te per unigenitum tuum
Jesum Christum. mea uxor uobis precatur multa bona. salutem dic Antonio
Veruio, alijsque notis et familiaribus meis. Valetudinem tuam et Corneliae
cura diligenter Duisburgi Nonis Aprilis 1562.

petrus habet parisijs instruat religientem.

Affinis et frater tuus

Johannes Molanus.

Nr. 117

Dossiorum patri breda.

Pax Christi

Honorande vir vereor ne expostules mecum quod nihil hactenus scripserim ad vos.

qui

[= Mscr. A. 12: Nr. 39]